Ante retrorſum.

Ad juventutem prudentiæ ſtudioſam.

Cum licet ancipitis ſectabere commoda cancri:
Et quovis diſces vivere poſſe ſolo:
Qui fraudatus aquis: ſicco tamen aëre vivit:
Et lento properans itque, natatque gradu.
Hoſtem quando fugit, qui proſpicit ante: retroque
Paulatim carpit quas juvat ire vias.
Si nocet ire: gradum revocabis: at ante quid obſtet
Spectabis: rebus proſpiciesque tuis.

Leviter si tangis, adurit.

Ad Marcum Christophorum Gugel Norib.

Vrticam si quis contingat molliter, uret:
Et timidas lædet tacta borago manus.
Hæc tamen intrepido franguntur spicula pressu:
Hacque omnis subito pellitur arte dolor.
Res age: non magnis nec neglige viribus hostem:
Sed leve quo poteris robore tolle malum.

Dum ruperit ilia ſanguis.

Ad Carolum Scheurl Noribergenſem.

Squamoſum crocodilus alit, perimitq; draconem:
Et ſua disrumpit ſanguine membra culex.
Hic ſitit humanus dum ruperit ilia ſanguis:
Et ſitit hic dum ſint ilia rupta, merum.
Si licet, optatis tua comple gaudia rebus:
Sed cave ne ſuperet læta cupido modum.

Præcipitata nocet vindicta.

Ad Paulum Volkhammer Noribergenſem.

Saxum quo petitur frendenti percitus ira,
Dentatoque fremens arripit ore canis.
Suscitat iſta canis ſpectantibus ultio riſum:
Quem morſus jactu lædit, obeſtq; magis.
Si quid es ulturus cauſas exquire, modumque,
Ne temerata prior ſit ratione manus.

Levitate ſuperbit, & extat.

Ad Chriſtophorum Paulum Gugel Norib.

Cernis ut optatis fœcunda eſt meßibus æſtas:
Et dominum quanto fœnore ditet ager.
Una ſed ecce alias ſupereminet inter ariſtas:
Quæ celſa erectum tollit ad aſtra caput.
Scilicet hæc multis, at inanibus aucta locellis
Effertur: dum nil quo retrahatur, habet.
Quem levis aſſurgens effert doctrina, ſuperbit.
Nam ſcit, qui doctum ſe putat eſſe, nihil.

Infunt meliora, latentque.

Ad Danielem Modlerum Norib.

Aſpice quam grato niteatque micetque colore
Malum, virgo ſua quod gerit iſta manu.
Exteriora placent forma: meliore ſed uſu
Præſtant, quæ tenui cortice tecta latent.
Quisquis es ipſe tuo nimium ne crede colori.
Cortex hic ſuibus, qui nitet, objicitur.
Internas etiam virtutibus excole partes:
Externum ut ſuperet mens bonitate decus.

Bello hæc & pace juvabunt.

Ad Christophorum Rodolphum Gugel. Nor.

In sua terrestris teneras erinaceus uvas
Horrea solerti dexteritate vehit.
Incubat in molles figens sua spicula baccas:
Hocque ferens tecto corpore pondus, abit.
Cornua si tauros: hunc & sua tela tuentur:
Tempore tela ferunt hæc quoque pacis opem.
Quæ bello virtus, & quæ prudentia bello
Profuit: hæc etiam pace probata juvat.

Vt sit vox̄ irrita: latrat.

Ad Jacobum Rôßlerum à Buchenreut Sileſium Franckenſteinenſem.

Crebris ut ſaliat latratibus ecce catellum:
Qui fugat intrepidos, perſequiturque canes.
Magnaque cum diro minitetur vulnera morſu:
Solo diſpereunt voxque, minaque ſono.
Irrita promoto convitia deſpice greſſu:
Quasque movet nullis viribus ira minas.

Sit forma, sit usus.

Ad generosum ac nobilem D. Johannem Adä-
mum, à VVolffstein, Baronem in su-
periori Sultzburg: & D.
in Pyrbaum.

Rustica plebs nimium civilibus invida formis,
Quidvis pro pulchro, si modo prosit, habet.
Nostra sed urbanos præfert Respublica mores,
Hacq; cavet ne quod desit in urbe decus.
Si datur, atq; decet, non est spernenda voluptas:
Authorem quæ se gaudet habere Deum:

Dantem data munera ditant.

Ad generosum ac nobilem D. Johannem Albertum à VVolffstein, Baronem in superiori Sultzburg: & D. in Tyrbaum.

Ditans ditesco, nec sunt mihi munera fraudi:
Me ferus accurrens cum populatur aper:
Qui juvat effossis rostro radicibus: & quod
Auctum cunq; putes posse nocere, vorat.
Si quid surripitur tibi quod tamen utile non sit:
Hoc tibi jactura non decet esse loco.

Alieno pondere tollor.

Ad nobilem virum Georgium Viſcherum Præfectum Dominatus Pyrbaumenſis.

Tollitur oppoſita lanx altera pondere lancis:
Surſum nempe minus pondera pondus agunt.
Ergo ſuis ut te delictis evehat alter:
Culpa vide laudes ne gravet ulla tuas.

Tandem putrefacta resurgent.

Ad nobilem virum Johannem Christophorum Kratzerum à Langenpruck, Aulæ VVolfsteinianæ præfectum.

Fertilis exhilarat sperantes terra colonos:
Huic quæ mandarint semina quando putrent.
Solis enim tandem vivent agitata calore:
Multaq3 fœcundo fœnore grana ferent.
Quin & nostra Dei jussu putrefacta resurgent:
Vt repetant animas corpora quæq3 suas.
Spem facit hanc isto nobis emblemate Christus:
Pulso ut certa metu sit, stabilisq3 fides.

Vetatq; gelaſcere motus.

Ad Gulielmum Pœderum Ambergenſem.

Cum glacialis hyems ampliſsima flumina duret:
Stagnantesq; ſuo frigore cogat aquas:
Non ſinit hunc fontem, rivumq; gelaſcere motus:
Atq; citata gelu dum fluit unda cavet.
Quin Sudore gelu ſic pellimus: *& procul actam*
Sedula pauperiem cura, laborq; fugant.

Spectatur funus ob ignem.

Ad magnificum ac generosum D. Andream a Cochtitz D. hereditarium dominatus Lublinicensis.

Fumus præclarum qui flammæ lumen obumbrat:
Conspicuus non est hic sine luce tamen.
Atq; ita sæpe leves in aperto corpore nævos
Candida conspicuos forma, gravesq; facit.
Inclita quin etiam virtus leve crimen adauget:
Qualia in obscuris crimina sæpe latent.

Data

Data leniet esca furorem.

Ad VVolffgangum Michaëlem à VVolfsthal.

Efferus humanas crudelia pabula carnes
Mactat, & insano devorat ore lupus.
At furor iste tamen saturato ventre recedit:
Mitis & est subito qui ferus antè fuit.
Cur bene moratum te faustis copia rebus
Non faciat: mitem si facit esca lupum?

Capto

Capto replet atria cantu.

Ad Bartholomæum Fugerum Dürſenreutinum.

Quæ ſpreto virides peragrabat murmure ſylvas:
Libera difficilem quærere juſſa cibum:
Hæc replet exultans grato reſonantia cantu
Atria: deq; cibo certa triumphat avis.
Sæpe juventutem neglectæ inſania legis:
Et libertatis ſæpe fefellit amor.
Provida quando regens lex utile jungit honeſto:
Huius quisq; ſua ſponte ſubito jugum.

Fructum quæ floruit offert.

Ad Georgium Lauream Vratislaviensem.

Fructus quaq3 suos, quæ floruit, exhibet arbor:
Hocq3 sua signum fertilitatis habet.
Virtutis pueri flos est verecundia vestræ:
Et vera junctus cum probitate timor.
Flos quoq3 doctrinam mentis præcedit acumen:
Et stabili doctos sedulitate facit.

Aequo rapidiſsima curſu.

Ad Johannem Vlricum Seidelmeier Præfectum cœnobio Gnadenberg: in P. C.

In tanta nihil eſt velocitate
Quod non ſyderei ſuperet conſtantia motus.
Sydera nempe Dei veracia dicta, fidemq́
Authoris referunt ſui, probantq́.
Et nos hæc etiam ſpectata exempla ſequemur:
Vt ſit noſtra Deo fides, & aſtris
Conformata: metu cadatq́ nullo:
Quamq́ ſuo nequeant mendacia flectere niſu.

Motu parit unda ſalutem.

Ad Paulum Freherum Auguſtanum.

Navis ut offendens vi fluminis acta ſuperbum
Ad pontem, vectas exoneravit opes:
Dulcia Briſaci guſtantes pocula montis,
Abſq; cibo bibimus ſtrenuè, & abſq; ſiti.
Aſt aqua nos ſubito pernicibus extulit undis:
Atq; ſalus, quod mors debuit eſſe, fuit.
Ne nimis effrenes fortunæ horreſce procellas:
Ipſa etiam veniet morte vocata ſalus.

Quæ nocuere juvant.

Ad Johannem Zobellum Oringiacum.

Scorpius oppugnat, quod contulit ante venenum:
Cladis at est usu certa medela suæ.
Multaq; producens animalia noxia tellus:
In plantis etiam multa venena fovet.
Nil tamen est, quod non a se data damna rependat:
Et quod non aliqua dote, vel arte juvet.
Quisquis es ergo tuis enitere viribus: ut si
Possis ex aliqua parte juvare, juves:
Ne te dicatur nihil esse nocentius ipso:
Et prodesse minus te quoq; posse nihil.

Quosvis fugit auctio sensus.

Ad Johannem VVolfgangum ab Ellerichshausen.

Si non est acri spectabilis auctio sensu:
Assiduè crescit qualibet herba tamen.
Nec fugit hæc, ubi res excreverit, auctio sensum:
Cunctaq; cum fuerint aucta, videre licet.
Discitur haud celeri (juvenes modo pergite) fructu:
Nec mora sollicitos terreat ulla pedes.
Et bona de multis conquirite semina rebus:
Certa, gravisq; suo tempore messis erit.

Gratis largitur, & offert.

Ad Georgium Gallum Nordlingenſem.

Aureus aßiduo latè ſua munera motu,
Iejunoq́ vigens corpore Phœbus agit.
Nullaq́ cum tantum foveant alimenta calorem:
Perpetuo fulgens hic tamen igne manet.
Et Deus ex nihilo qui totum condidit orbem:
De toto a nobis exigit orbe nihil.
Qua potes ergo fide ſolemq́ imitare, DEVMq́,
Et prompta gratis daq́, juvaq́ manu.

Propria ſtat gloria prole.

Ad Eraſmum à Steinau dictum Steinrück.



Quæ prima ramos ab origine protulit arbor:
Et fructu, & propria prole beata viget.
Atq; ita clara boni prudentia principis extat:
Qui regit, & proprio res agit arte ſuas.
Stirps ferat illæſo (ſi ſit bona) caudice fructum:
Ne varia noceas inſitione magis.

Nimis

Nimis aucta nocebunt.

Ad Johannem Mülholtzerum Norib.

Natura pergrata nocet nimis aucta voluptas:
Nec bona vina parum largius hausta nocent.
Copia quando placet rerum, vel honor, vel amici:
Corporis & robur, forma, colorq; placent.
Noveris hæc itidem cum prosint, posse nocere:
Nam bona sunt damnis, damnaq; mixta bonis.

Proce-

Procedere præstat ab imis.

Ad Ludovicum Schuuartzmeierum Amberg:

Quælibet à prima succrescit origine planta:
Imaq3 supremis suntq3, vigentq3 prius.
Naturam artifices opus aggrediendo sequuntur:
Quinetiam nobis hæc imitanda venit.
Discere quando voles, amplectere proxima primum:
Hæc si percipias, inde remota petes.

Certa eſt alia radice propago.

Ad Coſmam VVackium H Iſteinenſem.

Cernis ut ex una multi radice ferantur
Cauliculi, cupida qui retinentur humo.
Hic ubi terra novis plantam radicibus auget:
Amplificatq; ſuum multa propago genus.
Et bene fulta novis radicibus, auctaq; virtus
In juſto firmum pectore robur habet.

Spinisque tegentibus extant.

Ad Georg: Paulum Nützelium Norib.

Cernis ut erumpunt inter dumeta, vepresq3:
Lætaq3 fragranti lilia flore vigent.
Gallia nonne vides ter denos quanta per annos
Bella ducum effuso tincta cruore ferat?
Navarræq3 vides inter tot prælia regem,
Victo exultantes ut gerit hoste manus?
Quem ne tantilla dignata est Gallia parte:
Terras hic omnes ecce, virosq3 tenet.

Ex humili conſcendit in altum.

Ad Joh. Joachimum Nüzelium Norib.



Præruptum ex humili conſcendit origine montem,
Impulſuq; levis proſilit unda rotæ.
Si quibus ingenium natura, & ſtirpis honorem:
Et fortuna nimis parca negavit opes.
Sperate, & certo vires, animumq; labori:
Veſtraq; cæleſti credite vota DEO.
Magnas ſæpe frequens induſtria perficit artes:
Cum vis ſecuros ingenioſa facit.

Quando micat igne, feritur.

Ad D. Andræam Tucherum Norib.

Cum grave candenti molliverit igne metallum
Hoc flectet facili quo volet arte faber.
At si durities pulso fuget igne calorem:
Defessas ludent spesq3, laborq3 manus.
Commoda susceptis captata occasio rebus:
Eventu faciles prosperiore facit.

Surſum deflexa recurret.

Ad D. Chriſtophorum Stocamerum Norib.

Si quem deflectas magno molimine ramum:
Hujus ab extrema parte reſurget apex.
Totus & infracta ſummum virtute cacumen
Injuſtam fugiens vimq3, manumq3, petet.
Exſurgens multo, ſtabilitaq3 tempore virtus,
Nullo devictum robore robur habet.
Et ſi forte graves fortunæ injuria caſus
Inferat: haud ullo victa labore jacet.

Nutu

Nutu benefacta rependit.

Ad D. Jacobum Pömerum Noriberg.

Hæc clarum exultans amplectitur herbula ſolem:
Cujus & expaſſo munera flore capit.
Læto diſce puer benefacta rependere vultu:
Si tua non habeat res, neq; verba locum.

Durum juvat esse, nec obstat.

Ad D. Carolum Nützelium Noriberg. equitem auratum.

Vitra hæc transmittunt solam sine frigore lucem:
Duraq; perspicuis associata juvant.
Si sit honestati constantia juncta, juvabit.
Nam melius constans est leviore bonum.

Gravius

Gravius compressa nocebit.

Ad M. Bertholdum Gravium Hallendorfensem ad Salinas Hassiacas.

Si sapis ardentes nimium ne comprime prunas,
Si qua sit in nuda forte ferenda manu.
Mollibus emungit digitis ancilla lucernam:
Qui nequeunt instar forcipis esse fabro.
Non eadem vis est unius in omnibus ignis.
Nec pariter quævis omnibus ira nocet.
Nam si quæ non est sine viribus, illa prematur:
Compressu exsurgens urit, obestq; magis.

Leviter contacta movetur.

Ad Vitum Gertnerum Noriberg:

Immotamne vides quæ jacet hic pilam?
Hæc per ſe leviter pulſa movebitur:
Et ſi non moveas amplius: hæc tamen
Perget ſponte ſuum perficiens iter.
Sunt quibus ad certas mens eſt bene mobilis artes:
Plurima qui proprio diſcere marte ſolent.
Quisquis es ex teipſo qui discis, disce moveri:
Vnius hoc non eſt namq; docentis opus.



Paulatim assurgit, & ardet.

Ad Ludovicum Camerarium Noriberg:

Vt globus horrendo sonitu vibratur, & igne:
Vrsus forte metu membra movente fugit.
Sed redit, & magno grassatur in obvia motu:
Intactumq3 sinunt ira, furorq3 nihil.
Res age: nec primo sese tua protinus æstu
Efferat: in tremulas nec ruat ira manus.
Sed brevis hanc paulum potius mora temperet iram:
Dum reparent vires mens, animusq3 suas.
Postea jure tuos, vel apertis viribus hostes,
Aut quacunq3 licet fraude, vel arte petas.

Iterato liberor ictu.

Ad Michaëlem Lorberum Papæberg:

Fixus in hunc cuneus qui magno est robore truncum:
Nullis evelli viribus inde potest.
Vna sed ars superest, quam cognita causa docebit:
Ex immobilibus causa petenda labris.
Hæc labra divellas iterato vulneris ictu:
Et facto cuneus carcere liber erit.
Si bene quid facias, suscepto insiste labori:
Ne sit quid frustra constituisse pudor.

Ramis non caudice vivit.

Ad Johannem Prüeſchenck Ambergenſem.

Solus truncata conſiſtit in arbore caudex:
Nulliusq; bpni germina floris habet.
Qui non eſt aptis ad munera moribus: & quem
Solum ducit iners, & ſine mente caput.
Hic ſine flore manens eſt, & ſine palmite truncus:
Cui nec vitæ uſus, nec rationis ineſt.
Præclaris igitur virtutibus excole mentem:
Teq; tuis vivum viribus eſſe proba.

Roſeo

Roſeo roſa vivit odore.

Ad Johannem Neuburger Alcmarienſ: Holl:

Fragrantes roſeo roſas odore
Pergratus decorat color: ſed idem
Multis rebus ineſt color: roſarum
Vnus cum ſit odor comes perennis.
Conſervant humana duæ conſortia dotes:
Hic amor eſt: & certa eſt hic in amore fides.
At ſi deſit odor non eſt roſa vera colore:
Talis & inconſtans eſt amor absq; fide.

Totum

Totum pars una peremit.

Ad Christophorum Firxium Linonum.

Portio tam valide non continet una: sed omni
Hæc ex parte suum vincula robur habent:
Quæ cito solvuntur partem si solveris unam:
Et quavis etiam parte cadente cadunt.
Haud secus est constans sacræ perfectio legis,
Si præcepta colas omnia: justus eris.
At si lege tamen quicquam deliqueris una:
Virtutes sequitur gloria nulla tuas.

In alto nata ſuperbit.

Ad Carolum antiquioris proſapiæ Comitem Ortemburgicum.

Cernis ut exſultans excelſa in rupe ſuperbit
Fons hic & nitidas ejaculatur aquas.
Nempe quod ex alto deſcenderit incita monte:
Aſcenſu faciles efficit unda gradus.
Qui ſe parendo primis ſubmiſerit annis
Ex alta veteres ſtirpe ſecutus avos:
Hunc facili doctrina gradu: Laus ſtirpis in altum,
Et virtus humili tempore parta ferent.

Si dulcibus acria jungas.

Ad Johannem Cämmerling Hollandum.

Iuncta ceres lupulo dulcis parit æmula vini
Pocula: si dulces adjiciantur aquæ.
Acrem nempe sua lupulum dulcedine mulcent:
Et suavem faciunt unda, cereſq́ zythum.
Mollia si duris: & dulcibus acria jungas:
Tractandis ratio hæc optima rebus erit.

Mihi ſunt mea munera fraudi.

Ad Henricum Bachofen.

Hic me conculcans, cui munera largior, hoſpes
Obruit, ingrata dilaceratq́ manu.
Commoda ſæpè malis hæc eſt occaſio rebus:
Donaq́ ſæpe manus quando capeſcit, obeſt.
Forte quis acceptum ſi dat tibi munus, & offert:
Ingratus ne ſis accipiendo cave.

Media feras usq; tabella.

Ad Johannem Trunccium Marienbergenſem Boruſſum.

Naufraga quem medio tempeſtas æquore jactat,
Hunc media tutum parte tabella vehit.
Si tamen extremas fluxo terat aſſere partes:
Hunc alto merget verſa tabella mari.
Qua res quæq; ſuas conjunxerit aſpice vires:
Hæc ut ab hac ipſa te quoq; parte juvet.

Augentur pondera motu.

Ad Nicolaum Comitem Oſtroroganum.

Parvus ut ab excelſo qui lapſus ab æthere fertur,
Ictu quemq; ferit deteriore lapis.
Haud ſecus offenſi cum principis ira moratur:
Pœna tamen gravior tempore facta venit.
Nempe laceßitas alit indignatio vires:
Majus & eſt multò quàm fuit ante malum.

Sunt optima fulcra, manentque.

Ad Nicolaum Hieronymum, Hieronymi Baumgartneri duumviri primarii filium, Noribergenſem.

Volvitur tangente globus puello.
Sed viros ludunt validos, ſuaq3
Sede conſiſtunt cubicis reſecta
Saxa figuris.
Vir bonus, & referens conſtantibus omnia verbis,
Cujus & in factis ſtatq3 vigetq3 fides.
Dignus hic eſt prudens ſibi quem reſpublica jungat:
Et qui conſilio resq3 virosq3 regat.

Cedunt

Cedunt contenta, replentque.

Ad Johannem Livvaldum Marienbergenſem Boruſſum.

Qui volet ire procul, variasq; inviſere gentes:
Hoc emblema ſuis applicet uſibus.
Pocula multiplices vino tribuentia formas
Conſervant veteres omnia terminos.
Cedit, & ad formas vinum ſe comparat omnes:
Qualemcunq; ferat quæq; capacitas.
Et mutare tuos, & ad hoſpitis advena mores
Conformare bono te decet exitu.

Modice

Modice hæc assumpta juvabunt.

Ad Christophorum Marstallerum.

Annon insipidos nimisq; dulces
Vsu sal modico probè palatis
Arridere facit cibos? quid autem
Vsu si nimio? peribit omnis
Quem quærit bonitas coquus saporis.
Si quas condecorant jocus, & vexatio mensas:
Et si grata lepor verba, virosq; facit.
Attamen hæc gravibus sal sunt, & aromata verbis:
Quorum ne pereat gratia: quære modum.

Idem perimitque, paritque.



Quæris ut in molli validos abdomine flatus
Et pariat, perimatque piper, tollatque tumultum.
Ex frigidis flatus piper excitat
Humoribus: sed crebrius additum
Hoc postmodum solvens, & acri
Attenuans perimit calore.
Haud secus ingenium primo levis inflat, & effert
Conceptu doctrina: graves tamen inde bonosque
Accrescens fingit benè culto in pectore mores.



Frigore conſiſtunt denſata.



Maxima condenſat penetrabile flumina frigus:
Quin & conſiſtunt frigiditate nives.
Hæcque ſua tantô conſtantius omnia mole,
Frigora quô fuerint aſperiora, manent.
Si fortuna tuis rebus iniquior
Te duris agitet caſibus anxium:
His confide malis, quæ ſtabili tuum
Ad quidvis animum robore comparant:
Si ſors afficiat te gravioribus:
Ut vitæ ratio eſt irreparabilis.

Nam ſteriles mixtura facit.

Cum non ſint ſteriles equæ: ſuumque
Prægnantes aſinæ genus propagent:
Mulæ non pariunt licet perennent.
Nam mixtum hoc genus eſt, & impotentis
Naturæ.
Hoc mixturæ malum quando facit: optima vitæ
In juſta ratio ſimplicitate viget.
Bello mixtus amor, partemque ſecutus utramque:
Et cultus mixtæ relligionis obeſt.

Charæ cuſtodia prolis.

Grata duæ viſu pariunt ſpectacula feles:
Quæ ſuo morſu laniant, ferisque
Unguibus pectunt, lacerant, fugantque
Maximos quoscunque canes tenellæ
Prolis amore.

Et nos hæc etiam naturæ jura ſequamur:
Abſit ut à noſtra quævis injuria prole.

Properans non excoquit auctio fructum.

Dic mihi cur ſalicis naſcatur in arbore fructus
Nec matureſcat tamen.

Dum ſalix ſuccum celeri capeſcit
Fluminum ſuctu: properata crudos
Auctio profert, nimioque laxos
ubere fructus.

Et vos ô juvenes quos feruens erigit ætas:
Et quos maturi locupletat opinio fructus:
Ne properate nimis præcoces edere fœtus,
Dum vobis dubios obſirment tempora ſenſus.

Nec multo frangitur ictu.

Illatos adamas repellit ictus
Quantovis etiam furore tundas:
Quin hirci prius hunc domes cruore.
Vincere quando tuum nullis potes ictibus hostem:
Mollibus hunc verbis mitescere præstat, & astu:
Quam te difficili, nocuoque labore fatiget.

Creſcet tamen atque vigebit.

Nonne vides Cyanos inter frumenta, ferosque
Succeſſu parili creſcere carduos?
Haud tamen amittunt proprias bona ſemina vires:
Quin creſcens dominum læta beet ſeges.
At neque te pravos decet abſterrere ſodales:
Sed res ipſe tuas perfice ſedulo.

Hunc

Hunc capient alio mediante colorem.

Non quemvis ſubito probè colorem
Panni concipiunt, diúve ſervant:
Quin perfuſi alia tenace quadam
Tinctura fuerint paratiores.
Haud ſecus humanas non quæque ſcientia mentes
Imbuit extemplô: Phyſicasq; addiſcere primum
Res decet: ante ſacros quam progrediaris ad arces.

Pluri-



Plurima nec ſaturat cædes:

Ad Erneſtum Cracovvium Boruſſum.

Felis ad interitum, non ad ſua pabula mures
Evocat: & nulla eſt cæde necando ſatur.
At qui mactata complet ſua viſcera carne:
Mox ſatis, ut pleno ventre pigeſcat, habet.
Strenuus hæc etiam miles documenta ſequetur:
Sedula nudando ne ſit in hoſte manus.
Sæpe redux ſpoliis intentos obruit hoſtis:
Sæpe etiam feli quam vorat, eſca nocet.

Flante volat vento,
Sed mox gravis imbre jacebit.

Ad Johannem Satlerum VVemdingenſem.

Lintea ventus agit volucres imitata volatu:
Quæ ſubito gravibus deprimet imber aquis.
Quem levis attollit rebus fortuna ſecundis:
Et qui vento actus proſperiore volat:
Poſt vehemente trucis jactatus turbine venti,
Venturoque madens imbre jacebit humi.

Alio veniente remittet.

Ad Johannem VVillembrochium Dantiscanum.



Quæ micat in tenebris radianti luce, nitorem
Et profert atra nocte lucerna ſuum.
Mox ubi Sol noctem, noctisque fugaverit umbras:
Deperit huic quicquid luminis ante fuit.
Quisquis es ante alios quem vel ſors evehit omnes:
Qui vel doctrina, divitiisque tumes:
Ne confide nimis: ne ſi fœlicior alter
Adſit: ſcire tuum ſit, vel habere nihil.

Aut natet, aut pereat.

Ad Petrum Paulum Steurnagelium Augustanum.

Huius ne perimat te fluminis unda, natabis:
Sicque tuo veniet parta labore salus.
Nostraque perpetuo consistit vita natatu:
Res hic quisque suas ne moriatur agat.

Iusto majora videntur.

Ad Johannem Ingolstetterum Norib.

Major ut apparet tenues immissus in undas
Numimus: & exoriens Sol quoque major erat.
Haud secus externis augetur opinio rebus:
Parvaque prægrandi corpora veste tument.
Doctrinæque fluens oratio nomen adauget:
Et quæ magnificent, suspiciuntur opes.
Sed veniens humili sapientia veste: jacebit
Despecta in sterili pauper, egensque loco.

Illæsa pelle potitur.

Ad Christophorum Pium Herdesianum Noribergensem.

Dum fera venator venabula torquet in apros:
Aut vulpes canibus, vel globulis petit:
Quâ potis est minimum discerpta carne potitur.
Si tuum bello superaris hostem:
Hunc neca: sed parce bonis: ut isthac
Te magis sano laniata ditet
vellere vulpes.

Vento juvat: imbre nocebit.

Ad Johannem Christophorum Hallerum Ambergensem.

Quod vehemente prius promoverat impete ventus:
Hoc multo quatiens imbre moratur iter.
Si sapis externas nimium ne suspice vires:
Namque facit dubiam res aliena fidem.
Progrediens igitur quid versa fronte sequatur:
Et ventura mali quid ferat hora vide.

Nimio jacet obruta fructu.

Ad Martinum Stobæum Marienburg. Boruſ.

Quæ ſteterat vernis exultans floribus arbor:
Hæc nimio fructus pondere fracta jacet.
Quæ ſua complures potuit dare poma per annos:
Præ nimia dabit hæc fertilitate nihil.
Liberiorque nocet cumulans benefacta voluntas:
Ingeniumque nimis fertile ſæpe nocet.

Oſtentat forma, nec offert.

Quam ſunt hæc vario ſplendentia poma colore:
Quamque ſuis hæc eſt virgo decora genis!
Hæc ede: contrecta hanc audacter, & oſcula præbe.
Nam quacunque voles parte, fruare licet.
Quid pyra picta juvant? quid pictus in agmine miles?
Et quid amatorem picta puella juvat?
Quisquis es, internis animum virtutibus exple:
Ne pictum dicat te tua forma virum.

*

Non hoc naturæ eſt emblema, ſed artis: inani
Veſtit enim hæc ſpecie multa, ſed illa nihil.

Itur procul atque reditur.

Si terræ varios lustrare ciconia fines:
Sique volare procul grus, & hirundo queunt:
Cum tamen hæc solum quærant animalia pastum:
Et quavis rerum cognitione vacent.
Quidni homini deceat disquirere plurima nato
In toto quemvis orbe patere locum?

Complexu obfirmat, & effert.

In nuptias Abrahami Schnupſii Vimarienſis Palatini apud Ambergenſes Conſiliarii.

Ecce maritatas lupulis & vitibus alnos:
Quæ ſucco fructum luxuriante ferunt.
Sed modò vitis humi, proprio, lupulusque jacebunt
Pondere: ſi nulla ſuſtineantur ope.
Talia floreſcens quærat ſibi fulcra juventus,
Seque ſuo ſubdat fœmina quæque viro.
Ne vir forte jacens tandem ſine prole putreſcat:
Qui fulcro poterat conjugis eſſe pater.

Fixa dum ſede quieſcant.

Ad Iſacum Burgsdorferum Marchicum.

Callidus in ſylvis venator oberrat, & auceps:
Hic ut aves latitans captet, at ille feras.
At tamen hæ curſu ſalvantur, avesque volatu:
Quæ pereunt aliqua ſicubi ſede manent.
Non amat inſidiis obnoxia vita quietem.
Ut mortem fugias eſt fugienda quies.
Vera ſed in certo vitæ eſt cuſtodia motu.
Nec ſuperant agiles visque dolusq́ viros.

Citius calefacta gelascit.

Ad Joh. Jacobum Taurellum fil.

Frigida quæ molli fuerit laxata calore,
Astrictum citius contrahit unda gelu.
Haud secus indulgens quos molliter educat: & quos
Blanda boni metuit lædere cura patris.
Aut quibus aucta rapit vires, animumq; voluptas:
Qualem mentitur fœmina facta virum.
Quælibet hos facili fortunæ injuria casu
Obruit: & pulso membra calore jacent.

Viſo magis oſſe dolebit.

Ad Nicol. Fridericum Taurellum fil

Cum canis eſuriens alio rodente vagatur:
Aucta magis viſo vellicat oſſe fames.
Conſpectoque graves morſus accendit egeſtas
Divite. Pauperiem copia namque facit.
Augeat ergo tuum ne res aliena dolorem:
Non nimium ſocius ſuſpice quicquid habet.

Erecta

Erectæ ad ſydera creſcunt.

Ad Marcum Neu. Gôppingenſem.

Multa præruptum variante montem
Arbor aſcenſu decorat: ſuosq́
Torquet ad cœli viridi cacumen
Vertice ramos:
Non obſtante ſolo. Patrios neque natio mores,
Terraque nulla tuos germano in pectore mutet.
Sed tua ſit terras conſtantia firma per omnes.

eſe
S

Sese cutis ipsa tuetur.

Ad Albertum Fridericum Mellemanum.

Corrugans se glabra cutis, sine crine, tuetur,
Quando elephas muscam, belua cauta, necat.
Sic sine crine caput vanam sine viribus iram,
Nempe susurrones, invidiamque premit.

A. F. M. Nos aliter in nudis emblem.

Aliorum

Aliorum abſumor in uſus.

Ad Theophilum Richium Palatinum apud Ambergenſes Quæſtorem.

Splendida quæ proprio conſumitur igne lucerna,
Multos luce ſua dum juvat, ipſa perit.
Multi ſe macerant, ſubeuntque pericula, multis
Vt poßint medicas applicuiſſe manus.
Hi propria redimunt alienam morte ſalutem,
Si poßis, alios at ſine fraude juva.

Barba est satis una duobus.

Ad Ludovvicum Steinhauserum Ambergensem.

Quinque sub expasso latitant velamine fratres,
Tempore quos genitrix, partuque excluſit eodem:
Ornat barba duos: barbam natura duobus:
Et quinto alterutra duntâxat parte negavit:
Atque ita conjunctis barba est satis una duobus.
Quisquis es hunc etiam naturæ imitabere morem:
De te, deque tuis ut rebus gaudeat alter.

Nullo maris edita motu.

Ad Davidem Strzela à Rokitz.

Quæ gallina maris neglecto ſemine galli
Ova ſuæ nimio prolis amore parit.
Irrita ſunt: nec in his, quantumlibet ipſa caleſcant,
Vlla tamen vitæ ſpes, neque prolis ineſt.
Quod ſine judicio puerilis cuderit ætas
Ingenii nimium parturientis opus.
Nullius hoc unquam florentis germina vitæ:
Nec fructum qui ſit dignus honore feret.

Non cedit mole, ſed uſu.

Ad Georgium Karlick à Nezetiz.

Si ſeges arboreo conterrita robore cedit:
Parva tamen ſtabilem præbet ariſta cibum.
Pomaque cum magna turgentia mole putreſcant:
Sicco parva diu corpore grana manent.
Parve puer magnos inter confide ſodales:
Vis etiam parvis maxima rebus ineſt:
Corporis ut deſint: animi conquirito vires:
Quæ plus corporeo robore ſæpe juvant.

Multo languentia motu.

Ad Ferdinandum VVoſtrouvetz à Kralouvitz

Quem properante canes curſuque, metuque fatigant
Concidet amiſſo robore victus aper.
Sunt curis qui ſe macerent, odióve, metúve:
Et ſunt quos ſpoliet viribus ira ſuis.
Atque ita non magno cum robore venerit hoſtis:
Hi proprio victi turpiter enſe cadunt.

Nullo dulceſcunt fracta calore.

Ad M. Thobiam Salandrum.

Quo matureſcunt crudißima poma calore:
Dulceſcitque aſper qui fuit ante ſapor
Salſas haudquaquam vaſti coquit æquoris undas
At neque dulce facit: ſed facit acre piper.
Non quemvis rigidas ſecuta leges
Disciplina bonum facit: nec omnes
Molleſcunt ſtudiis, ſed aſperantur
Qui ſunt ingenio ferociore.
Quæ nullo coquitur calore bilis:
Hanc acri medicus repurgat hauſtu.

Et Nilum crocodilus habet.

Ad Mathæum ab Hagen.

Et Nilum crocodilus habet, qui maxima toti
Ægypto utilibus commoda præstat aquis.
Ne celebres contemne viros: si forte quid ipsi
Doctrinam vitii concomitantis habent.

Nimis

Nimis ubere languet avena.

Multa proſternunt pinguedine pabula vires:
Quin & avena gravem multa fatigat equum.
Nec ſatis eſt longo moles nimis aucta labori:
Quando quod auxilio debuit eſſe, gravat.
Sæpe etiam partis opibus ſterileſcit, & alget:
Qui prius ingenio fertiliore fuit.
Et metus iſte vetat magnos ditare poëtas:
Cum ſegnes faciant, ſi cumulentur opes.

Affluxu augentur magna minorum.

Ad M. VVolfgangum Reuth.

Plenos offerri locupletibus undique cenſus
Cum paſsim à populo pauperiore vides.
Ne mirare, tibi nec tam paupercula cordi
Turba ſit. Hac dites numina ſorte beant.
Maximos augent fluvii minores:
Et cibo corpus leviore creſcit:
Et maris vaſtas minus ampla complent
Flumina fauces.

Vt ſit nutritur, & urit.

Ad Johannem Adolphum Saltzman.

Aſpice complures ut quæritur ignis in uſus,
Maxima qui magni munera Solis obit.
Quem niſi terreſtris ſuſtentet copia ligni:
Aut ſit inexpleto quod voret ore, perit.
Haud ſecus humanæ eſt reſtricta potentia ſortis:
Qui juvat, auxilio quem juvat, eius eget.
Disce igitur parili benefacta rependere nixu:
Nec ſolem, ſi quis te juvet, eſſe puta.

Quo vivimus, hocce necamur.

Ad Johannem Helmreich.

Qui dedit erectis vitamque decusque lucernis:
Subverso hic ipsas igne peremit adeps.
Si quis opem veniat validos laturus in hostes:
Et si te major, quem juvat, esse velit.
Perfer, & observa quæcunque negocia tractat.
Non sat in hocce latet pectore tuta fides.

C

Non forma, ſed uſus.

Ad M. Philippum Bernbeckh.

Rura petunt, & res noſtri ſectantur, & uſum,
Agricolæ: atque ſatis quod juvat, eſſe putant.
Prima ſit, ut vivas: hinc ut bene vivere poſsis:
Altera ſit vitæ cura, laborque tuæ.
Multa voluptati rerum eſt data copia noſtræ.
Sed bene ſi nequeas vivere: vive tamen.